



~~17~~
EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

V-1

SIGNAT. MDCCCXXIII

LESSVS
QVO MORTEM
VIRI MAGNIFICI SVMME REVERENDI
ATQVE EXCELLENTISSIMI
DOMINI
CASPARIS
LOESCHERI
THEOLOGIAE DOCTORIS
AC PROFESSORIS PRIMARI
TOTIVS ACADEMIAE ET CONSISTORI
ECCLESIASTICI ASSESSORIS SENIORIS
ECCLESIAE PAROCHIALIS PASTORIS
AC CIRCVLI ELECTORALIS
SVPERINTENDENTIS GENERALIS
VIGILANTISSIMI
PATRIS INDVLGENTISSIMI
ACERBISSIME PLANXIT
MOESTISSIMVS FILIVS
MARTINVS GOTTHELF LOESCHERVS D
ET PROF. PVBL.

VITENBERGAE LITERIS GERDESIANIS

Heu mihi! quoque cui noua luctus suppetit anno,
Causa, nouusque noua de ratione dolor.

Funera, me miserum! cumulantur quanta Meorum

Corporis atque mei portio quanta cadit!

Sol uetus abreptam mihi iussit plangere Matrem,

Sol nouus at Patris plangere busta iubet.

Inueterata recrudescunt sic uulnera laesae

Mentis, sunt ictu sic patefacta nouo.

O Pater, o meritis, Pater, o uenerabilis annis,

O Pater innumeris deueniente modis,

O concede, TVVM, sensus si manibus ullus,

Vltima me Natum fundere uerba TIBI.

Nec mirare, TVAM me tristi carmine mortem

Prostrataque graui mente dolere malo.

Deposcit pietas, amor hoc deposcit et ingens,

Tempore perpetuo quo TIBI uinctus ego.

Ne mihi, ne numeres rursus mihi lustra uiginti,

Es quitus in uita quae superare TVA:

Dignus eras, heu! dignus eras, qui Nestoris annos,

Alteraque in terra uiuere secula queas:

Quique librum repleas potiori iure Sophistae,

Narrantem longi temporis aeuu senum.

Nec mihi tot iucunda refer, tot faustaque facta,
Gratia queis uoluit TE cumulare DEI.
Quicquid erat, semper de quo celebrabimus illum,
Plura tamen poteris, et potiora, frui.
Quoque DEI de dante manu maiora tenebas,
Hoc magis et longe uiuere dulce fuit.
Et quid conquereris, quod robora corporis artus
Sic mandante negent mente priora dare.
Quod nequeas aliis cum decertare labore,
Quod porro nequeas utilis esse Gregi.
Vtilis at fatis es, si quam calidissima toto
Pro populi coetu uota, precesque, facis.
Vtilis at fatis es, TVA si solertia mentis,
Exemplo cunctos, consiliisque, iuuat.
Verbis ecquid opus? repeto cum tempora uitae
Ultima, quae Tecum contigit esse mihi:
Tum triste est, meminisse simul tot gaudia mille,
Quae peperit sermo, colloquiumque TVVM.
Heu! quoties dubiis in rebus nescius haesi,
Abs TE consilii est patefacta uia?
Heu! quoties, licuit TE quando audire docentem,
Mire doctrina est amplificata mea.

Heu ! quoties doctis monitis prudentia creuit,
Orta TVO luxit lumine flamma mihi.
Finge, TIBI, cunctisque, fatis quod uixeris, uni
At mihi uixisti quod fatis esse nequit.
Sunt mihi, sunt permulta mihi certamina uitae,
In queis auxilio cura paterna foret.
Sunt mihi, sunt curae quae TV dispergere solus
Praeclare poterat atque leuare fatis.
Sed quo delabor tandem ? quas uulnera luctus
Horribilis cogunt me sed inire uias ?
Me miserum ! frustra annitor reuocare Parentem
In uitam, frustra suscipit aura preces.
Spiritus Illius, placida qui morte solutus,
Nec uult, nec poterit corpus inire suum.
Innumeris caussis sed, laetitiaque, triumphat,
In corpus Dominus dum reuocabit eum.
Quas TIBI sed potero, Pater optime, soluere grates,
Pro curis Natus pro meritisque TVIS.
Amplius haud TIBI sunt cordi, quaecunque caduca,
Talia si uellem muneris esse loco.
Accipe, quod solum poterit pro munere solui,

MENTEM. QVAE SEMPER. VULT. MEMOR-
ESSE. PATRIS.

Ung.

VI 1

= [Occasionalia Vol. 2.
= Fumeralia K.-R.]

X.285598A

W 17
W 18



LESSVS
QVO MORTEM
VIRI MAGNIFICI SVMME REVERENDI
ATQVE EXCELLENTISSIMI
DOMINI
CASPARIS
LOESCHERI
THEOLOGIAE DOCTORIS
AC PROFESSORIS PRIMARI
TOTIVS ACADEMIAE ET CONSISTORI
ECCLESIASTICI ASSESSORIS SENIORIS
ECCLESIAE PAROCHIALIS PASTORIS
AC CIRCULI ELECTORALIS
SVPERINTENDENTIS GENERALIS
VIGILANTISSIMI
PATRIS INDVLGENTISSIMI
ACERBISSIME PLANXIT
MOESTISSIMVS FILIVS
MARTINVS GOTTHELF LOESCHERVS D

